PROGRAMM

des Königlichen katholischen

Gymnasiums Hedingen bei Sigmaringen

vom

Schuljahr 18^{62}|$_{63}$.

Als Einladung

zur

öffentlichen Prüfung und feierlichen Preisvertheilung

auf den 13., 14. und 17. August.

Inhalt.



Sigmaringen.
Druck der P. Liehnerschen Buchdruckerei.
1863.

De Helena dea.



De Helena, numinis loco multo ante habita, quam Helenae mortalis mulieris Homerus clarissimus praeco exstitit, ita disputare mihi in animo est, ut collectis, quae in antiquis fabulis inveniuntur, vestigiis, quaenam deae primaria vis ac natura fuerit, cognoscatur.

Ab eis loquendi initium facio, quae de genere Helenae apud veteres scriptores leguntur, quibus natura plus quam humana significari videatur. Patrem enim Helenae Homerus ipsum Jovem, deorum principem, pluribus locis praedicat [1]), matrem Ledam, fratres eadem matre ortos illustrissimos illos heroas Castorem et Pollucem [2]), qui etiamsi summis ac divinis fere honoribus a Jove affecti cernantur, Helenae tamen generis claritate eo inferiores sunt, quod aeque ac Clytaemnestra soror [3]) non Jove, summo deorum et hominum patre, sed Tyndareo homine, Spartae rege, nati perhibentur [4]). Cum Homero scriptores aetate posteriores teste Pausania [5]) ita consentiebant, ut omnes uno ore Jovem Helenae genitorem significarent. Similiter ab omnibus Castor et Pollux fratres nominabantur, idque justissime, quum post Homerum non solum ex eadem matre, sed etiam ex eodem, quo Helena, Jove patre nati esse crederentur ideoque cognomine *Διοσκούρων*, Jovis filiorum, insignes essent [6]). Mater etsi a plerisque Leda eadem dicebatur, erant tamen, qui ab his dissentirent, quum permulti Cypriorum quae dicuntur carminum scriptorem [7]) sequentes ex Nemesi, Oceani filia [8]), unus Hesiodus [9]) ex alia quadam Oceanitide Helenam prognatam esse vellent. Postremo hae narrationes de Helenae matre inter se dissentientes eaedemque maxime vulgares, ut in fabulis saepe factum esse constat, ita confusae sunt, ut Leda illa non mater, sed nutrix Helenae, Nemesi matre natae, diceretur [10]). Prorsus autem mirifica atque incredibilia de Helenae

1) Hom. Il. III. 418: „*Ἑλένη, Δίος ἐκγεγαυῖα.*“ cfr. III, 426. Od. IV, 184; 569. — 2) Hom. Il. III, 238. 3) Hom. Od. XXIV, 199. — 4) Hom. Od. XI, 298 seqq. — 5) Pausan. I, 33, 7. — 6) Schol. Pind. Nem. X, 150. Hom. hymn. XVI, XXXIII. — 7) cfr. frg. apud Athen. VIII, 334, C. seqq. — 8) Pausan. I, 33, 3; VII, 5, 3. — 9) Hesiod. apud schol. ad Pind. Nem. X, 150 (Goettling. Hesiodi carmm. fr. 51). — 10) Pausan. I, 33, 7: *Ἑλένῃ Νέμεσιν μητέρα εἶναι λέγουσιν Ἕλληνες, Λήδαν δὲ μαστὸν ἐπισχεῖν αὐτῇ καί θρέψαι· πατέρα δέ καί οὗτοι καὶ πάντες κατὰ ταὐτὰ Ἕλληνες Δία καί οὐ Τυνδάρεων εἶναι νομίζουσι.* Idem fabularum scriptores egisse putaverim, quum Ledae, post mortem in concilio coelestium collocatae, Nemesi nomen impositum esse fingerent. cfr. Lactant. Institt. div. I, 21. Pauly, Realencyclop. vol. IV, pag. 846.

ipso partu traduntur. Nam in cycnum mutatum Jovem modo solam Helenam ex Leda procreasse ferebant, modo Helenam et Pollucem [1], modo praeter Helenam et Pollucem ipsum Castorem alterum fratrem [2], quem alii a Tyndareo patre mortalem genitum esse dicebant [3], et, quae res non minus prodigiosa est, ovo inclusos Ledam eos, quos nominavimus, liberos peperisse opinio erat, aut uno omnes [4], aut duobus ita, ut ex altero Helena aut una, aut cum fratre Polluce [5], ex altero aut Castor et Pollux [6], aut Castor et Clytaemnestra [7] prodirent [8] Similia miracula de Helenae ortu ii memorabant, qui Nemesin matrem esse volebant. Cypriorum enim carminum scriptor Stasinus, an quis alius Nemesin ait [9], ut Jovem fugeret, in varias animalium formas mutatam per mare et terram ad extremas orbis terrarum partes errasse. Quam quum tandem Jupiter cycni specie induta [10] consecutus esset, ovum illam peperisse, quod a pastore quodam forte repertum et adlatum ad se Leda diligenter custodivisset atque Helenam suo tempore inde ortam ut suam filiam enutrivisset [11].

Hae de Helenae ortu splendidissimo eodemque prodigioso narrationes quid valeant ad Helenae deae naturam cognoscendam, quum quaeratur, jam primum, si ad parentes et fratres spectamus, nescio an multa eaque haud levia inveniantur, quibus aut simile aut idem, atque ipso Helenae nomine, indicatum esse arbitremur. Hoc enim quum Hesychio duce [12] „splendida, lucens“ latine reddatur liceat, nisi prorsus idem, quod σελήνης vocabulum, declarare malis, certe ad lucis rationem primariam Helenae vim ac notionem referendam esse docet. Atque Jupiter quidem Helenae pater, cui οὐρανὸς εὐρὺς ἐν αἰθέρι sorte contigerit [13], qui ἐν αἰθέρι ναίων [14] perhibeatur, insigni cognomine apud Graecos Λύκαιος [15] dictus, apud Romanos Lucetius [16] jam Saliorum carminibus [17] celebratus, quid aliud est, quam coelum splendidum et candens, lucis omnis fons et origo [18]? Item Dioscurorum numen, quum aliis Graeciae locis, tum in Helenae patria summa veneratione cultum, cognatione quasi propinqua cum luce coelesti conjunctum esse, non est, quod pluribus demonstretur [19]. Obscurior quidem Ledae propria vis ac natura est, sed ne eam quidem a luce prorsus abhorrere, pluribus causis adducor ut credam. Oriunda est enim ea simul cum geminis filiis ex Lycia Asiae minoris regione, neque alia a viris doctis habetur, quam quae in antiquis monumentis et inscriptionibus Lyciorum dea, Lada sive Lad nominata, invenitur, eis-

1) Eurip. Hel. 17. seqq. Troad. 398. Pind. Nem. X, 150. Isocr. Hel. encom. 26. — 2) Eurip. Hel. 254. Hecab. 944. — 3) Apollodor. biblioth. III, 10, 7. — 4) Pausan. III, 16, 1. Sappho apud Athen. II, 57, D. 5) Athen. II, 58, B. Hor. ars poet. 147. — 6) Hor. Sat. II, 1, 6. — 7) Hygin. fab. 77. — 8) Verbo tetigisse satis erit ineptias eorum, quibus teste Pausania (II, 57, E.) hoc mirabile placuit, Helenam, quia in superiore parte aedium nata esset, quae pars (ὑπερῷα) a Lacedaemoniis ᾠὰ nominaretur, id circo ex ovo natam perhiberi, aut qui nominum σελήνης et Ελένης aequali natura inducti de luna decidisse ovum contenderunt, ex qua Helena orta esset; parere enim, quae in luna essent, mulieres ova. — 9) Frg. apud Athen. VIII, 334, C. seqq. — 10) Aliud habent Apollod. III, 10, 7. Virg. Cir. 489. Tzetz. ad Lycoph. 88, Ath. III, 58. B. — 11) cfr. Paus. III, 10, 7. — 12) Hesych. ἑλένη· λαμπάς, δετή. cfr. eundem in vocc. ἕλα, βέλα; Bähr. ad Herod. II, 112. Schwenck, Mythol. d. Griech. pag. 106. Preller, griech. Mythol. II, 73, not. — 13) Hom. Il. XV, 192. — 14) Hesiod. Op. et d. 18. „Aetherius“ apud Plaut. Trinumm. IV, 1, 1. Stat. Sylv. III, 1, 186. — 15) Paus. IV, 22, 7; VIII, 38, 6—7. — 16) Festus: „Lucetium Jovem appellabant, quod eum lucis esse causam credebant.“ — 17) Macrob. Sat. I, 15. — 18) Ennius apud Cic. de nat. deor. II, 2. „Adspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem.“ cfr. Pauly, Realencyclop. vol. IV, pag. 587 seqq. Prell. I, 83. — 19) Schwenck, pag. 99 seqq. Prell. II, 66. E. Curtius, griech. Gesch. 149.

dem, quibus Leda Graecorum, symbolis, ut ita dicam, signisque conspicua [1]. Qua ex Lycia terra quae in Graeciam transvecta sunt aliorum deorum heroumve sacra, veluti Apollinis qui dicitur Lycii, Persei, Bellerophontis [2], ex luminum coelestium veneratione originem duxisse constat. Accedit, quod nomen Ledae cum Letus (Latonae) nomine congruere viri docti putant [3]; quod quum significare „occultam" et deam Noctem sive Tenebras declarare videatur, quae, ut in rerum natura, ita in fabulis Graecorum cum luce arcte cohaereant [4], en habes aliam causam, cur Ledae numen a luce non alienum esse existimes. Cui rei hoc quoque convenit, quod Aristophanes Noctem et ipsam ovum peperisse dixit [5].

Eandem Helenae naturam, quam parentes et fratres, Aethram et Electram illas, quae in antiquissimis fabulis et artibus Helenae comites ac servae fingantur, indicare ex ipsis nominibus perspicuum est, quorum alterum Aethra „serenitatem coeli," alterum Electra „fulgorem coeli" declaret [6]. Utramque Pausanias in tabulis illis pictis expressam vidit [7], quibus Polygnotus, summus ille artifex, Leschen quam Graeci nominabant Delphicam exornaverat, hanc Electram Helenae dominae calceum subligantem, Aethram illam detonso ad cutem capillo Helenae lateri proximam stantem. Eadem Aethra in clarissima illa quae Cypseli vocatur arca, Polygnoti tabulis aetate multo superiore [8], ea specie expressa videbatur, ut pulla veste induta ad Helenae, cui fratres adstant, pedes humi abjecta esset [9]. Addita erat inscriptio, Tyndaridas Helenam liberatam Athenis reducere, Aethram in servitutem abstrahere. Vulgaris enim narratio erat, quae rebus Atticis antiquissimis intertexi solebat, a Theseo, Atheniensium rege, Helenam raptam esse [10]. Nam Theseus et Pirithous Helenam puellam ubi inter alias puellas in templo Dianae quae dicebatur Ortbiae saltantem conspexerunt, pulchritudine ejus capti rapuerunt, raptamque uter uxorem haberet, sorti decernendum reliquerunt ea conditione, ut, utri contigisset, is alteri ad aliam uxorem ducendam opitularetur. Theseo quum sorte evenisset, Aphidnas, Atheniensium in vicum, abductam matri Aethrae, Pitthei filiae tuendam tradidit, ipse cum Pirithoo, ut Proserpinam ex inferis arcesseret, in Molossorum terram abiit. Qui quum apud inferos retinerentur, Castor et Pollux cum exercitu Atticam invaserunt et diripuerunt atque expugnatis Aphidnis sororem liberatam et Aethram Thesei matrem captivam abduxerunt. Plutarchus multos non Theseum ipsum, sed Lynceum et Idam, Apharei Messenii filios, rapuisse Helenam dicere addit, a quibus Theseus fide data, ne Tyndarei filiis reposcentibus redderet, custodiendam accepisset. Apud Homerum etsi Helenae a Theseo raptae mentio non fit [11], tamen Aethra quaedam Pitthei filia inter ancillas Helenae commemoratur, qua in re sicut memoriam prioris cujusdam fabulae, ita posteriorum fundamentum fuisse recte judicatur. Sed utcunque res sese

---

1) Prell. II, 64. Schwenck, Mythol. d. Griech. pag. 98. Curtius, pag. 149. — 2) Prell. I, 161 seqq. II, 50, 54. — 3) Prell. II, 64, not. 3. Schwenck I, 109. — 4) Hes. Theog. 123: *Νυκτὸς δ' αὖτ' Αἰθήρ τε καὶ Ἡμέρη ἐξεγένοντο.* cfr. Prell. I, 31. — 5) *Τίκτει πρῶτον ὑπηνέμιον ᾠὸν νύξ.* cfr. Athen. II, 57, E. — 6) cfr. Schwenck I, pag. 107. Prell. II, 76. not. Buttmann, Mythol. II, pag. 354. — 7) Paus. X, 25, 2. — 8) Müller, Handbuch d. Archäologie, pag. 35. — 9) Pausan. V, 19, 1. — 10) Plutarch. Thes. 31. Herod. IX, 73. Pausan. II, 72, 7. Isocr. Hel. encom. 9. Athen. XIII, 4. Apollod. III, 10, 7. Quint. Smyrn. Posthom. 13, 519 seqq. Apollon. Rhod. I, 101. c. schol. Schol. ad Hom. Il. III, 144 causas sibi afferendas esse putat, cur Aethra, Thesei mater, Helenae servire non potuerit. — 11) Schol. ad Il. III, 626, coll. 144.

habet, certe, quam rationem inter naturae sive res sive vires, Helenae et Aethrae nominibus ac personis declaratas, intercedere superstitio veterum credebat, ea hac narratione ad rerum humanarum formam traducta et quasi ad historiae fidem exposita cernitur. Non absimilis Electrae illius ratio est, quam Helenae servientem in Polygnoti tabula Pausanias vidit. Nam ex Plejadibus una esse et praeter Harpyias, procellas illas rapacissimas, Iridem, hoc est arcum coelestem, Thaumanti genuisse perhibetur [1]). Has potissimum, quae in fabulis finguntur, Helenae servas et comites Schwenckius [2]), vir doctissimus rerumque mythicarum peritissimus, respicere videtur, quum primariam Helenae naturam ita explicet, ut ejus nomine ac persona deorum numero consecratam esse dicat matutinam diei lucem („Frühlicht, Tagesfrühe"), cui quia sit serena tempestas quasi subjecta, idcirco Aethram Helenae servientem fingi, neque aliam Helenam esse, quam quae apud Romanos „Mater Matuta" [3]) numinis loco habita sit. Quae viri doctissimi sententia comprobanda an rejicienda sit, ante quam in cetera, quae huc pertinere videntur, accuratius anquisiverimus, dijudicare non licebit. Illud postquam certum exploratumque esse vidimus, nisi ad lucem Helenae naturam propriam referri non posse, ad Helenae mirificum ortum et ad matrem Nemesin redeamus, ut ab his proficiscentes reliqua ratione et via investigemus.

Nam ovum illud et cycnus etsi pro certo affirmari non potest, neque quo tempore in fabulas introducta sint, neque utrum utro prius fuerit, hoc certe dignum est, ad quod animum attendamus, quod ad Venerem deam et cycnus et ovum spectare videntur, Venerisque in symbolis ac signis utrumque invenitur. Cycnus enim, quo signo mare ac fluctus marinos veteres indicare solebant, quum aliis diis, quorum numina ad mare pertinent [4]), tum Veneri ex maris spuma ortae saepissime in carminibus, nummis, statuis adjunctus est [5]). Ovum itidem in Veneris signis ac simulacris cerni et Prellerus liquido docet [6]), neque, qui naturam deae non plane ignoret, mirabitur. At haec symbola quam Helenae cum Venere dea necessitudinem intercessisse significant, ea profecto, quum Nemesis matris vim ac rationem intellexerimus, multo planius ob oculos ponetur. Nemesis enim numen priscis temporibus non solum ad hominum mores, sed etiam ad res naturae valere credebatur, non solum prava atque impia hominum facinora immissis calamitatibus sibi punienda sumere, ut ad vitae modestiam perduceret et, quidquid nefas esset, ab eo deterreret, sed etiam in initiis ac seminibus iis pollere, unde omnia, quae videremus, orta et concreta essent. Hoc, ut alia omittam, jam eo intelligimus, quod ex Oceano [7]), aut ex Nocte [8]), aut ex Erebo et Nocte [9]) Nemesin procreatam esse in fabulis est, a quibus primis, ut ita dicam, vetustissimisque diis quae originem habere feruntur numina, ipsa ad numerum antiquissimorum deorum adscribenda esse constat. Praeterea Noctis filiam eodem sensu Nemesin appellari, quo illa ipsa in Orphicis quae dicuntur carminibus [10]) invocetur: *Νύξ, γένεσις πάντων, ἣν καὶ Κύπριν καλέσωμεν,* ex eis, quae mox proponentur,

1) Hesiod. Theog. 266. — 2) Mythol. d. Griech. 106; Mythol. d. Semiten p. 289. not. — 3) Lucret. V, 654: roseam Matuta per oras aetheris auroram differt et lumina pandit. cfr. Prell., Röm. Mythol. pag. 285. Schwenck, Mythol. d. Römer, pag. 166. seqq. — 4) Prell. l., 157: 376. cfr. Aeschyl. Prom. 797. — 5) Müller, Handbuch der Archäol. § 378, 2. cfr. Hor. Od. V, 1, 10. Stat. Silv. I, 2, 142. III, 4, 122. — 6) Prell., 234. — 7) Pausan. I, 33, 3. VII. 5, 3. — 8) Hesiod. Theog. 223. — 9) Hygin. praefat. — 10) Orph. h. III, 2.

spero perspicuum fore. Quae quum ita sint, etsi multis illa opinio, qua Helena Nemesis filia esseferebatur, quam maxime probabilis propterea erat, ut Helena, a Paride in suam et civium perniciem rapta, tanquam altera Nemesis Trojam venisse et Nemesis munere fungens, contumaciae insolentiaeque poenas a Trojanis repetivisse videretur [1], tamen veram causam, cur Helena Nemesis filia facta sit, non eam fuisse, sed ex altera illa Nemesis vi ac ratione, qua ad Veneris indolem quam proxime accedere videatur, ortam et profectam esse cum Prellero [2], viro doctissimo, persuasum habeo. Mirum enim recte videretur, si carmina illa Cypria, ad Veneris deae Cypriae eximiam laudem condita, quum prima Helenam Nemesis filiam fingerent, id egisse putanda essent, ut, qui homines summa Veneris Gratia florerent, hoc ipso dignos esse dicerent, quos Nemesis dea acerbissimis poenis afficeret.

Verum nullum jam dubitationi locum relinquunt, quae de Nemesi et Rhamnusia et Smyrnaea memoriae prodita sunt. Nam Rhamnunte, qui vicus Atticae a Marathone sexaginta stadia distabat, ubi summa Nemesis veneratione colebatur, ex Nemesi Helenam natam esse plus solito constans ac vulgaris narratio erat, et in basi Rhamnusiae deae signi, illustri laude celebrati, ita descripta Helena conspiciebatur, ut a Leda nutrice ad Nemesin matrem adduci videretur [3]. Haec autem Nemesis Rhamnusia Venerem deam summa necessitudine contingit, quod ut paucis planum faciamus res postulat. Praemittam, quod de signi Rhamnusii origine commemoratu dignum Plinius tradit [4]. Certamen ait fuisse Agoracrito Pario, Phidiae summi artificis discipulo, cum Alcamene Atheniense in Veneris signo fabricando; huic quum cives sui Athenienses praemium detulissent, Agoracritum, aemuli palma exacerbatum, suam Venerem in Nemesin tranformasse [5]. Quod utcunque se habet, nisi ad Veneris naturam Nemesin proxime accedere opinio fuisset, ne fingi quidem ejusmodi narrationem potuisse consentaneum est. Sed hoc si levius putes, quid, si Nemesia, qui festi dies Rhamnusiae deae agebantur, ad hominis ortum et mortem non minus pertinuisse accipimus [6], quam duarum Nemesium sollemnia, quae etiam celebriora a Smyrnaeis institui solebant? Quid, quod Pausanias [7] alias quidem se alatas Nemesis imagines ignorare, apud Smyrnaeos autem, quae summa religione alerentur signa, alas habere dicit. Cujus rei causam scriptor diligentissimus hanc esse suspicatur, quod numen illud ad amatores maxime pertineret, idcirco ei ut Cupidini alas additas esse. Porro ab eodem scriptore in fano Smyrnaeorum deabus eodem plane modo, quo Veneri solent [8], Gratias deas adjunctas esse audimus [9]. Denique et Athenis et Smyrnae Nemesis pari modo ac Venus deae amantium nomine insignis erat [10].

Et de Nemesi quidem matre Helenae hactenus. Sunt praeterea plura alia, quibus Helenae et Veneris numina arctissimo inter se vinculo colligata esse tibi persuadeas.

---

1) Pausan. X, 12, 2. Quint. Smyrn. X, 287. — 2) Prell. II, 74. — 3) Pausan. III, 10, 7. Rhamnusium in agrum Jovem in signi figuram conversum ad Nemesin se demisisse Cratino poeta auctore Eratosthenes narrat (Catasterism. XXV, in Westermanni: Scriptores poeticae historiae Graeci, pag. 256.) — 4) Hist. nat. XXXVI, 4. — 5) Alia narrant Pausan. I, 33, 2; Suidas i. v. Ῥαμνουσία Νέμεσις. — 6) Hermann, Gottesd. Alterth. § 48, 11. Suid. i. v. Νεμέσια. Veneris numen etiam ad mortem pertinere, fusius exposuit Creuzerus, Symbol. II, pag. 461, 478. Gerhard, Venere-Proserpina. Fiesole 1826. — 7) Pausan. I. 33, 6. — 8) Hom. Il. V, 338; Od. XVIII, 192. — 9) Pausan. IX, 35, 2. — 10) Chr. Walz, de Nemesi Graecorum, Tubing. 1847. Pauly, Realencycl. vol. V, pag. 525 seqq. Prell. I. 332.

Casu enim ac fortuito fieri non potuit, ut, quae in Helenae mortalis vita, qualis jam ab Homero descripta est, loca ac regiones commemorantur, eadem pleraque sacris Veneris, sive Graecorum deam sive Phoenicum Astarten dicis, insignia ac religiosa essent. Ex his praeter cetera Cranae insula nominanda est, una cum continentis terrae adverso litore Veneri deae dicata, ad quam primam Paris et Helena Sparta profecti naves appulisse feruntur [1]. Similiter omnes fere aliae regiones, in quas Helena aut Trojam petens cum Paride aut Troja revertens cum Menelao aberrasse et devertisse dicta est, coloniis Phoenicum mercatorum et Astartes sive Veneris Uraniae sacris insignia erant, velut Nili ostium Canopicum, ubi Helena cum Menelao adversis ventis retenta [2] est, velut Cyprus et Phoenice, aliae terrae, quas errans cum Paride attigit [3], postremo Sidon oppidum, unde Paris mulieres illas textrices abduxit [4]. Itaque Herodotus [5], rerum scriptor peritissimus, fanum illud, quod Memphide Veneris peregrinae nomine illustre vidit, quum re vera Astartes deae, a Phoenicibus mercatoribus cultae, esset [6], Helenae sacrum esse suspicari potuit, neque omni ex parte falso eum judicasse mox intelligemus.

Nam, quod maximum est, eadem vel similia Helenae, ac Veneri, sacra constituta esse invenimus. Sicut enim in insula Rhodo Veneri Dendritidi sacra fieri solebant, ita Helenae Dendritidi, hoc est Arboreae, fanum iidem Rhodii dedicaverant [7]. Quae sacra comparata cum iis, quibus Venus illa *ἱεροκηπὶς* dicta in insula Papho, vel *ἐν κήποις* cognominata Athenis colebatur [8], etsi satis facilia explicatu sint, vera tamen ratio aut veterum hominum memoria plane excidit aut fabularum integumentis obvoluta miroque modo obscurata est. Rhodii enim teste Pausania [9], Therapnis prope Spartam [10] in Menelai templo, quae vulgaris opinio erat, Helenam sepultam esse negantes, Oreste etiam tum errante a Nicostrato et Megapenthe [11] patria expulsam ad Polyxo necessariam Rhodum venisse narrabant. Hanc Polyxo, et ipsam Argis oriundam, Tlepolemum conjugem in exilium secutam [12] esse ac tunc quidem suscepta parvi filii tutela in insula regnasse. Quae quum in potestate Helenam haberet, ut conjugis mortem ulcisceretur, immisisse in lavantem servas Furiarum specie indutas, easque comprehensam in arbore suspendisse et necasse [13]. Atque hujus rei memoria ne oblivione deleretur, Helenae Dentritidi templum consecratum esse. Qua in narratione si quid veri inest, nihil aliud esse facile intellexeris, quam a Tlepolemo Argivo sacra Helenae ex Peloponneso Rhodum transvecta esse, id quod eo probabilius videtur, quum Lindi,

1) Hom. Il. III, 445. Pausan. III, 22. 1. — 2) Hom. Od. IV, 227. — 3) Hom. Od. IV. 84 seqq. — 4) Il. VI. 290 seqq. — 5) Herod. II, 112. seqq. — 6) Horat. Od. III, 26, 10 de Venere hoc habet: „O quae beatam diva tenes Cyprum et Memphin.“ Strabo. XVII, pag. 804. Schwenck, Mythol. d. Aegypt. pag. 30. Prell. II, 75. — 7) Wachsmuth, Hellen. Alterthumsk. II, 2, pag. 192. — 8) Pausan. I, 29, 2. I, 27, 3. Prell. I. 217. — 9) Pausan. III. 19, 9. seqq. — 10) Pausan. III. 19. 9; Hesych. i. v. *Ἑλένια* et *Θεραπνατίδια*. Isocr. Hel. encom. 17. cfr. E. Curtius, Peloponnesos II, 236, 240. Hermann, Gottesd. Alterth. S. 278. 11) Menelai filiis, cfr. Hesiod fragm. 113, ed Goettling. Hom. od. IV, 11. Pausan. II, 18, 6. Apollod. III. 11, 1, Schol. Theocr. 18, 45. — 12) Licymnium patruum Argis interfecerat, Hom. Il. II, 663, seqq. Trojam deinde profectus a Sarpedone occisus est, Hom. Il. II, 653 seqq. — 13) *Ἑαυτὴν ἀπῆγξεν Ἑλένη*, Ptol. Heph. Nov. hist. IV. (Westerm. Mythogr. p. 189) A tragicis poetis fabulam hanc compositam esse, qua illud *δράσαντι παθεῖν*, quod in ore habebant, probaretur, consentaneum est.

quam urbem cum duabus aliis Homerus a Tlepolemo conditam esse dicit [1]), etiam alio nomine Helenam cultam esse videamus.

Jam si respexerimus, quae hactenus proposita sunt, aut animus me fallit aut Helenae deae naturam ad Veneris indolem proxime accedere satis liquido patet. Aliam eam quasi quandam Veneris imaginem ac formam esse existimes [2]). Qua propter factum etiam esse nihil habet mirum, ut a quibusdam ipsius Veneris filia haberetur [3]). Morem enim veterum fabularum fuisse constat, ut, quae simillima inter se essent deorum numina, ea arctissimo consanguineitatis vinculo consociarent. Ita Apollo, ita Mercurius Jovem patrem acceperunt; ita, ne longus sim, Cupido sive Amor, vis illa omnium in natura rerum procreatrix, Veneris deae eandem sententiam habentis filius factus est.

At quaeritur, quomodo fieri potuerit, ut Veneri simillima Helena cum Castore et Polluce, Lyciorum numinibus ad lucem spectantibus, eo arctissimo foedere consociaretur, ut soror eorum in fabulis fieret. Quod ne jure mirari videamur, ne ipsam quidem Venerem Uraniam, quo cognomine antiquissimo a vulgari illa atque abjecta (πανδήμῳ) inde a Platonis aetate discerni coepta est [4]), meminerimus oportet Graecos deam indigenam habuisse, sed ab Asiae gentibus, sive Assyriis sive Phoenicibus, antiquissimis temporibus mutuatos esse. Testes sunt ipsi veteres rerum scriptores. Herodotus [5]) enim antiquissimum Veneris Uraniae templum Ascalone, Phoenicum in oppido, se vidisse narrat, indeque profecta esse, quae in insulis Cypro et Cytheris Veneri a Graecis fierent sacra omnium longe celeberrima et vetustissima [6]). Contra Pausanias [7]) ab Assyriis primis deae cultum adhibitum esse refert, et ab iis qui Cyprii Paphi incolae sacra deae accepissent, hos cum Phoenicibus Ascalonem habitantibus communicasse; postremo Ascalone in insulam Cythera sacra deae transvecta esse. Sed cuicui modi hoc est, antiquis his scriptoribus aeque persuasum fuit, ac, qui nostra aetate sunt, viris rerum mythicarum ceteroquin multo peritioribus, Venerem hanc Uraniam haud aliud fuisse numen, quam quod variis nominibus [8]) ac formis per omnem fere Asiam coleretur eadem primaria notione ac significatione. Hanc etsi non omnes prorsus eodem modo definiunt, tamen, quod causae caput est, ad coelestes et sidereas rationes pertinuisse uno consensu affirmant [9]); sidereum numen fuisse, cujus ex luce quum omnes in natura res semina et incrementa caperent, idcirco omnium rerum naturae quasi parentem habitum esse, proxime autem ad Lunam accessisse, cujus vis et salubris et infesta ab hominibus, qui naturae rebus divinos honores haberent, summa religione coli soleret [10]). Quae quum ita sint, Venus haec quam recte Urania, hoc est Coelestis appellata sit et apud Homerum ex Jove et Dione nata perhibeatur [11]), neminem fugit. Hujus igitur numinis siderei vel potius lunaris sacra sicut mercatores nautaeque Phoenices vel Syrii Cyprum et Cythera detulisse putandi sunt, ita ex his antiquissimis emporiis et coloniis suis profecti quum per ceteras oras Graeciae tum Eurota flumine

---

1) Hom. Il. II, 656. — 2) Bähr, ad Herod. II. 112. — 3) Ptol. Hephaest. Nov. histor. I. IV. i. Westerm. Mythogr. pag. 188. — 4) Pausan. IX, 16, 2. Prell. I, 214. — 5) Herod. I, 105. — 6) Hom. H. X. *Κυπϱογενῆ Κυθέϱειαν ἀείσομαι.* cfr. Hes. Theog. 192 ff. — 7) Pausan. I, 14, 6. — 8) Herod. I, 131. 9) Creuzer. Symbol. II, pag. 350 seqq. 417 seqq. 473 seqq. coll. III, p. 281. ed tert. Movers: Die Phöniz. I, p. 559 seqq. 601 seqq. Bähr. ad Herod. I, 105, 131. Prell. I, 186. — 10) Grimm, deutsche Mythol. pag. 407 ff. Rochholz, Naturmythen. — 11) Hom. Il. 5, 370; hymn. Ap. 93. cfr. Apollod. I, 1. 3, qui Dionen ipsam Urani filiam esse dicit. Prell. I, 80.

subvecti et notitiam et venerationem deae suae propagarunt, ejusque signa medium quendam ac conspicuum coloniarum locum obtinentia non aliter, ac Memphide factum esse Herodotus dicit [1]), prima omnium prisci Pelasgi conspicati et admirati sunt [2]). Sed quae deae sacra Memphide et in Aegypto eadem semper et immutata manebant, haec in Graecia ad ingenium et ad studia usumque hominum accommodata et novata videmus. Tale quidem permanebat in religionibus ac cultu Graecorum hominum, quale primum cognitum erat, numen sidereum vel potius lunare, vis omnium in natura rerum procreatrix, sed quum trans mare quasi advectum videretur ipsique Graeci jam rebus nauticis operam dare coepissent, sacrorum deae talis mutatio est facta, ut etiam ad mare et navigationem spectarent [3]). Credebantur a dea fluctus maris et venti compesci et secundus navibus cursus impertiri [4]); quare aetate postera longe lateque per litora et in portubus dea colebatur et *γαληναίη, εὔπλοια, λιμενία* insignibus cognominibus praedicari solebat [5]). Quae quum ita se haberent, accidit, ut Cares illi ac Leleges nova domicilia quaerentes in Peloponnesum migrarent et in Laconica potissimum ita certas sedes figerent itaque cum prioribus sessoribus in populi unius corporis coalescerent, ut a posteris ipsi indigenae Laconicae terrae haberentur [6]). Atque jam in eo est, ut quod hactenus praeparare argumentisque munire, studui proponam. Tum conjunctis inter se incolis Laconicae priscis et recentibus etiam sacra quum cetera utriusque gentis conjuncta inter se confusaque esse puto, tum cum Veneris deae sacris vetustis ea, quae nova ex Lycia patria advenae adduxerant, Castorum sacra. Quod quidem sicut alias saepissime accidit, ita hac in re facillime fieri potuit, quum Veneris et Castorum numina hac duplici ratione summa necessitudine inter se contingerentur, quum utriusque numinis primaria notio ac natura ad lucem pertineret et utriusque in tutela mare ac navigatio crederentur. Dioscuros enim rebus nauticis praefuisse, res notissima est [7]). Hanc autem conjunctionem confusionemque in fabulis ita expressam conspici judico, ut novo exorto Helenae nomine ipsa Venus soror perhiberetur Castorum. Itaque nomen etiam Helenae optime intelligi videtur, si idem declarari eo, quod *σελήνης* voce, ipsamque lunarem deam Venerem significari existimes.

Ad Helenae deae vim primariam intelligendam quae hactenus a nobis proposita sunt, ea novis argumentis comprobatum iri puto, si, quam Helenam Veneris numini congruentem invenimus, eandem Dianae deae arctissimo vinculo consociatam esse viderimus. Et hoc quidem haud injuria jam ex eo conjeceris, quod Letus (Latonae) liberi gemini, Apollo et Diana, a Ledae geminis filiis, Castore et Polluce, quum utriusque numinis origo et primaria vis spectatur, non admodum alieni habendi sunt [8]). Idem enim esse matris utriusque Ledae et Letus nomen jam supra commemoravimus; ex eadem Lycia haud dubie utraque sacra in Graeciam transvecta, eadem in Laconica summa veneratione culta sunt, nisi quod Achaeorum praecipue Castor et Pollux dii erant, Apollo et Diana Dorum. Itaque Helenae numen muliebre Castoribus adjunctum a Dianae muliebri numine aut ab initio aut certe postero tempore

1) II, 112. — 2) E. Curtius. Gesch. d. Gr. I, 44. — 3) E. Curtius, l. l. — 4) Horat. Od. III, 26, 5: „marinae Veneris". Lucret. I, 6. — 5) Pausan. II, 34, 11. VIII, 21, 4, 24, 1. O. Müller, Denkm. d. a. K. II, tom. 6, 68, 75. Athen. XIII, pag. 188 E, 590 F. — 6) Pausan. III, 1, 1: „*Λέλεξ αὐτόχθων.*" E. Curt. pag. 149. — 7) Theocr. XXII, 6: „*σωτῆρες ἐπὶ ξυροῦ ἤδη ἐόντων.*" Hom. H. XXIII, 6. Eurip. Hel. 1495. Horat. Od. I, 12, 27. — 8) Pro certo hoc affirmat Schwenck, Mythol. d. Gr. p. 99, 109.

non prorsus alienum fuisse probabile est. Sed quod haud injuria conjici diximus, id planius jam perspicere licebit, si in Messeniorum quae dicuntur heroinas Phoeben et Hilairam, Leucippi filias, animadverterimus, adjunctas et ipsas ut muliebria numina Idae et Lynceo, patruelibus, quos apud Messenios idem valuisse, atque apud Lacedaemonios Castorem et Pollucem, quum veterum testimoniis [1]) tum recentiorum consensu [2]) comprobatur. Hisce enim Leucippi filiabus magna similitudo et cum Helena et cum Diana erat. Namque non solum a Castoribus, Helenae fratribus, raptae et in matrimonium ductae esse dicebantur [3]) eodem modo, quo Helenam ab Ida et Lynceo, quorum illae et patrueles et uxores habebantur, raptam a nonnullis dici supra vidimus [4]), sed etiam ad Helenae rationem proxime accessisse putandae sunt eo, quod in templo earum a lacunari aptum pendebat ovum, quod ab omnibus Leda peperisse dicebatur [5]). Easdem autem Leucippides ad Dianae et Apollinis rationes multum pertinere, et ex nominibus intelligitur — Phoeben enim et Hilairam usitatissima Dianae cognomina esse nemo ignorat [6]) — et ex eo, quod Apollinis filiae in antiquissimis jam Cypriis carminibus dictae sunt [7]). Denique aut fallor, aut tria illa Helenae, Leucippidum, Dianae muliebria numina, quae suo quodque virili numini quasi quaedam antitypa pro more Graecorum opposita esse merito dixeris, aut eandem aut simillimam habuerunt sententiam, sicut virilia illa, quibus adjuncta sunt, aut plane idem aut simillimum valuisse vidimus. At nihil profecto magis idoneum est, quo summam Helenae cum Diana necessitudinem intercessisse tibi persuadeas, quam quod antiquissimas fabulas secuti Stesichorus [8]), clarissimus ille poeta, aliique tradiderunt, Helenam raptam a Theseo, postquam a fratribus liberata esset, Iphigeniam filiam peperisse [9]). Nulla enim alia Iphigenia est, quam ipsa Diana. Quod ut accuratius explicemus, si quid aliud, e re nostra est. Ac primum quidem Dianae Iphigeniae cognominatae Hermionae, in oppido Peloponnesi, templum fuisse Pausanias tradit [10]). Item deam illam Taurorum, cui naufragi quique Graecorum eo delati erant homines immolari solebant, ab ipsis Tauris Iphigeniam filiam Agamemnonis praedicatam esse Herodotus docet [11]). Hanc autem deam Taurorum nullo omnino discrimine a Diana Graecorum separatam esse, jam Pausaniae persuasum fuisse apparet. Nam postquam Megarenses gloriatos esse tradidit [12]), quod et heroicum Iphigeniae apud se mortuae monumentum haberent et Dianae templum ab Agamemnone dedicatum, quum Calchantem vatem ad bellum Troicum excitaturus Megara venisset, hoc memorabile addit, Hesiodum, quum Iphigeniam non caesam esse pro hostia caneret, sed Dianae numine Hecaten factam, nihil dissentire ab eo, quod Herodotum dicere modo commemoravimus, idque justissime eum affirmare nemo, qui eandem Hecatae ac Dianae primariam significationem [13]) esse teneat, negabit. Quod autem vulgaris narratio habet, Iphigeniam non ipsam deam esse, sed deae sacerdotem signum ex Tauris in Graeciam — Brauronem, in antiquissimam Pelasgorum in Attica sedem — detulisse, hoc a tragicis potissimum poetis acceptum et propagatum esse constat. Nihil ut neglexisse

1) cfr. Pausan. III, 13, 1. III, 14, 7, Schol. ad Apollon. Rhod. I, 159. Apollod. III, 10, 3. — 2) E. Curtius, Griech. Gesch. I, pag. 150. Prell., Griech. Mythol. II, pag. 68. Schwenck, Mythol. d. Gr. pag. 104. — 3) Pausan. II, 22, 5. Theocr. idyll. XXII. — 4) Plutarch. Thes. cap. 31. — 5) Pausan. III, 16, 1. — 6) Schwenck, Myth. d. Gr. p. 102. — 7) Pausan. III, 16, 1. — 8) Fragm. 37. i. Bergk, Poet. lyr. gr. p. 750. 9) cfr. Pausan. II, 22, 7. Tzetz., ad Lycoph. 851. Antonin. Liberal. transformatt. cap. XXVII. i. Westermann. Mythogr. pag. 226. — 10) Pausan. II, 35, 2. — 11) Herod. IV, 403. — 12) Pausan. I, 43, 1. — 13) Prell. I. pag. 199. seqq.

videamur, etiam, qui nostra aetate laude doctrinae subtilissimae aut floruerunt aut florent, viros doctos audiamus. Ex quibus C. O. Muellerus [1] et God. Hermannus [2] etsi a Creuzero [3] et Moversio [4] ita dissentiunt, ut illi sacra deae Taurorum ex vico Braurone in Chersonesum Tauricam venisse affirment, hi deae illius lunaris in Asia interiore coli solitae sacra ea esse, ad oras Ponti Euxini advecta, in eo tamen, quod rei nostrae caput est, omnes una mente et voce consentiunt, ut Taurorum deam cum Diana Graecorum, cui Iphigeniae cognomen sit, concinere ac congruere putent. Prelleri viri doctissimi adde sententiam, et rem jam confectam exhaustamque esse tibi persuadebis. Cognomen ait [5], quod Dianae fuerit Tauricae [6], deam lunarem significans bobus vehentem vel cornua lunae taurinis cornibus similia indicans, eo valuisse, ut ad Tauricam terram, propterea quod lunae lumen pro tempore a conspectu nostro abstrahi soleret, deam lunarem Dianam cognomine Iphigeniam subductam esse veteres fingerent. Ne multa, hoc jam nemo negabit, neque Iphigeniam eandem esse quam Dianam, neque Helenam, quae in fabula, quam modo commemoravimus, mater Iphigeniae esse dicatur, cognatione propinqua hanc Dianam attingere. Quam ob rem non vereor, ne plane inconsulte fecisse videar, si, qua fabula Helena in Atticam abducta ibique Iphigeniam peperisse dicatur, ea significari hoc contenderim, antiquissimo tempore sacra Dianae illius Orthiae, cujus ex templo Helena rapta, et sacra Dianae ab Atticis cultae, ad quos abducta Helena perhiberetur, necessitudine quadam inter se contigisse. Quae necessitudo ac conjunctio qualis fuerit, quum quaeras, pro certo quid affirmet, nescio an nemo habeat. Equidem hoc Pausaniae [7] dignissimum duxerim, quod diligenter expendatur. Signum enim Dianae Orthiae a Spartanis illud creditum esse dicit, quod e Taurica terra ab Oreste et Iphigenia asportatum esset, idque cur multo probabilius crederetur, quam quod Athenienses dicerent, qui Brauronem signum illud ab eisdem delatum esse vellent, argumentis probare studet. Quam quidem opinionem si quis non plane rejiciendam et explodendam esse censeat, a sacris Dianae a Spartanis cultae ut vetustioribus sacra Dianae Atticae aut orta et profecta aut aucta et adjuta esse et talem aliquam rem Helenae raptu indicatam esse suo fortasse jure dixerit. Sed haec hactenus. Sunt quidem alia quaedam, quibus Helenam cum Diana lunari dea [8] cognatione quadam proxima conjunctam esse declaretur, omitto tamen ut leviora [9]; ex iis enim, quae proposita sunt, nisi me fallit animus, res jam satis perspicue intelligitur.

En habes Helenam et Veneri deae et Dianae arcta propinquitate conjunctam. Itaque eo pervenisse videmur, ut, quam Helenae naturam in exordio hujus commentarioli ad lucem referendam esse suspicati sumus, eam nihil aliud quam ipsam lunam declarare jam pro certo et explorato dicere possimus. Neque loc loco illa gravissima res praeteriri debet, quod Helena in fabulis identidem rapta perhibetur. Nam quae virgines aut mulieres modo vi raptae modo non invitae in alias terras abductae esse ac diu multumque errasse traduntur, velut Jo, Europa, aliae, iis ipsis lunares deas significari, earumque migrationibus erroribusve naturam lunae modo evanescentis modo redeuntis in coeloque quasi errantis exhiberi consentaneum est.

1) C. O. Mueller. Orchomenos und die Minyer, pag. 311. — 2) God. Hermann in Praefat. ad Euripidis Iphigen. Tauric. pag. 29 seqq. — 3) Creuzer. Symbol. II, p. 528. 581. coll. 387 et IV. p. 297. 310 ed. tert. — 4) Movers., Die Phöniz. I. pag. 622. — 5) Preller, Mythol. d. Gr. I, p. 194. — 6) Pausan. I, 23, 7. coll. III, 16, 7. — 6) Pausan. III, 16, 6. — 8) Cic. de nat. deor. II, 27. — 9) Schwenck, Myth. d. Sem. p. 289 n.

Schulnachrichten.

A.

Lehrgegenstände.

Prima.

Ordinarius: Rector *Dr. Stelzer.*

Religionslehre. In Martin's Lehrbuch der katholischen Religion II. Theil: Aus der ersten Abtheilung das Allgemeine über die hl. Sakramente und im Besondern die Lehre von der hl. Eucharistie und vom Buss-Sakramente. Zweite Abtheilung: Die katholische Sittenlehre § 187—258. Zahlreiche Stellen zur Begründung der Lehre aus der hl. Schrift wurden im Urtexte gelesen. Vier schriftliche Arbeiten über Gegenstände aus dem Bereiche des Gelernten. — Wöchentlich 2 Stunden. Im Wintersemester Religionslehrer ***Bantle,*** im Sommer Gymnasiallehrer ***Maier.***

Für die evangelischen Schüler dieser Klasse und der Secunda: Die Geschichte der christlichen Kirche vom Jahre 1000 bis auf unsere Zeit, nach dem Handbuche von Leipoldt; bei der Reformationsgeschichte wurde die Augsburgische Confession genau durchgenommen. — Fünf schriftliche Arbeiten. — Wöch. 2 Std. ***E. Jungck,*** ev. Stadtpfarrer.

Deutsch. In Bone's Lesebuch (II. Theil) wurden die meisten Musterstücke des IV. und V. Abschnittes gelesen, daneben Goethe's Iphigenie auf Tauris, Schiller's Wilhelm Tell und Maria Stuart. Aus der Literaturgeschichte das Wichtigste seit Opitz. Uebungen im Disponiren, im freien Vortrage und in der Deklamation. Schriftliche Arbeiten: 1. a) (d. h. für die Oberprimaner) Charakteristik des Sokrates nach Plato's Apologie; b) (für die Unterprimaner) das Leben mit einer Reise verglichen. 2. Geringes ist die Wiege des Grossen. 3. a) Die Verdienste der Hohenzollern um die erste Entwicklung und Hebung des brandenburgisch-preussischen Staates; b) Eroberer und Ströme. 4. Charakteristik des Orestes oder einer andern vom Schüler zu wählenden Person aus Goethe's Iphigenie auf Tauris. 5. Goethe's Iphigenie auf Tauris dem Inhalte nach verglichen mit dem gleichnamigen Drama des Euripides (Klassenarbeit.) 6. a) Vorzüge des Lebens in der Stadt vor dem Leben auf dem Lande;